

educat, inuenerit operibus bonis deditos, & in iustitia stantes. Et quare *Beatos*? Quia cum illis statim rationes inibit, atque uti Martyres; ita & illos *super omnia bona sua constituet*, & unicuique e vestigio dicit: *Euge Seruus bone, intra in gaudium Domini tui*. Itaque repeto, *Aduentus Domini non unus est*, ut Barnetus sibi persuadet, neque unus est *Dies Domini*. Mortis quoque nostræ *Dies* hoc etiam nomine significatur in sacris Literis. Locupletem habemus testem, S. videlicet Hieronymum, cuius verba sunt cap. 11. in Coel. *Diem autem Domini, Dion intellige Iudicii, sive Dion Exitus uniuersusque de Corpore*. Quod enim in *Die Iudicii futurum est omnibus, hoc in singulis Die Mortis impletur*. Chrysostronus vero Homil. 78. in cap. xxiv. Matth. & Epist. vi. ad Theodorum Monachum, verba illa Domini interpretans Luc. xii. 39. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paternitas, qua hora sis veniret, vigilaret &c. Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, ait, illic agi de singulorum excessu e vita; nam & tunc venit Dominus ponere rationem cum seruis suis. Jam vidimus, Regnam Coelorum, ac Visionem Dei quibusque Iustis a Deo misericorde promitti; atque ubi statuamus, tantum præmium statim subsequi certamina & mortem Martyrum: minorem fortasse, beatam tamen in Coelis mercedem Confessoribus quoque & reliquis Iustorum Animabus concessim, aut brevi conferendam credere cogimur. Id autem luculentius intelliges, quoties recogitabis, apud veteres non eos tantum, qui pro Christi nomine aut tormenta tolerarunt, aut etiam vitam dederunt, sed & ceteros Deo fideliter in sanctitate & iustitia seruietes, *Martyrum* appellatione fuisse donatos. Primi quidem per antonomasiam, & excellenti quodam, proprioque titulo, appellati *Martyres*; reliquis per analogiam par nomen tributum fuit. Antiquissimus Scriptor Clemens Alexandrin. lib. iv. Stromat. *Si igitur, inquit, Confessio Dei est Martyrium, sive Testimonium; quæcumque Anima se pure & sincere gessit cum agnitione Dei, & que præceptis paruit, Martyr est, & vita, & sermone; quomodo cumque liberatur a Corpore, fidem tamquam sanguinem, per totam vitam, & etiam in exitu, profundens*. Rufus in eodem Lib. ait: *Quicumque autem Salvatoris mandata exsequuntur, in unaquaque actione sunt Martyres*, sive testes. Paria habet Chrysostr. Hom. xi. in Epist. ad Hebr. & Hom. 11. in Epist. ad Corinth. & alibi idem tradit. Quocum video concordēs S. Methodium apud Epiphanium Hæres. lxiv. Nazianzenum in Oratien. vi. Ambrosium Serm. xx. in Psalm. 118. Augustinum, Gregorium Magnum, & alios. Itaque vix nihil erit, cur Iustus, quum postrema vitæ dies instabit, inuideat maturæ Martyrum felicitati. Ipsi nempe Spiritus ad illorum consortium, atque ad patriam cœlestem e vestigio advolabit. Si Martyrium verum ita culpas & maculas Animarum eluit, ut puræ fiant ante Dei solium: cur ceteris, quibus est meritum æternæ Gloriæ, Cœlum præcludatur. Martyribus jam referatum neque amplius clausum, uti fuit sub veteri Legē?